1527 imitati, qui rebus maritimis clari florentem Rempublicam reliquerant. Lando imperatori mandatur, ut Dalmatiam prætervehens, oppidis, atque urbibus quibuſcunque rebus poſſit, adjumento ſit; deinde Corcyram verſus tendat, ibi triremes opperiatur, claſſemque omnem cogat, quæ Joanni Mauro, atque Auguſtino Amulio legatis obtemperabat, ibidem Senatus voluntatem, ac mentem intellecturus. Dum hæc geruntur, in Inſubribus bellum, quod intermiſſum, ac fere ſopitum videbatur, ob Romanam cladem cunctorum defixis animis, denuo cœpit renovari, atque recrudeſcere: qua re vel armorum propinquitate, vel quod ad ſummam totius rei Franciſci Sfortiæ eventus magnum momentum afferre arbitrarentur, non parum Veneti ſolicitabantur. Nam Sfortia in omnem occaſionem intentus Joannem Baptiſtam Specianum Doctorem Venetias Oratorem miſerat, ut quo loco res illius eſſent, doceret; nova ſpe erectum Sfortiæ animum aliquod facinus adverſus hoſtes patraturum, mille ac trecentos pedites illi adeſſe, Laude, ubi tunc erat, ad exercitum profecturum: petere, ut illi pecunia a Senatu quamprimum mittatur, qua copiarum numerum ad tria millia augere poſſet. Ea libenter, ut Franciſci animus in fide, ac benevolentia erga Rempublicam retineretur, præſtita, & Dominico Contareno legato injunctum eſt, ut omni in re auſis, cœptiſque Sfortiæ faveat.

Joannes Maurus et Amulio claſſis legatus.

Joannes Baptiſta Specianus Sfortiæ orator ad Venetos.

Mandata Senatus Dominico Contareno.

Interim Franciſcus Galliæ Rex captivitatem Clementis miſeratus, atque Hiſpanorum ex victoria ſpes, & animos auctos ægre ferens, nihil prætermittebat eorum, quæ ad exercitum quamprimum in Italiam mittendum conducerent: nam decem millium Italorum peditum delectum haberi juſſerat; novos ex Helvetiis milites, ut quindecim millium numerum æquarent, colligi; quinque præterea Germanorum millia: neque vero minori ſolicitudine maritimarum expeditionum premebatur; propterea Andream Auriam Genuenſem, ut ſuo ære militaret, addixerat, virum rerum navalium uſu peritum, qui ea tempeſtate octo triremibus imperabat. Ad hæc quod Anglus cum Gallo in ſocietatis jus coiiſſet, Franciſcus Henricum impulerat, ut decem Germanorum peditum millia ſuis merentium ſtipendiis in Italiam mitteret, ut majori conatu fœderatorum auctis viribus, adverſus Cæſarem bellum adminiſtrari

poſ-